



32

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**TVBVR CINATIONIS
DAMNIS**

QVAM
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
PRO-RECTOR FRIDERICIANAE MAGNIFICO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSVRM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI
AD D. XXVI. OCTOBRIS, A. S. R. c^o ICCC L VIII.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
IOANNES IVLIVS FRIEDRICH
SOLDINO - NEO - MARCHICVS.

HALAE MAGDEBURG. EX OFFICINA HENDELIANA.

DILEXIT TUTUS IN HABITACULIS MEDIÆ

TABLA RIGA TIONIS DUMIS

778. VESTIGIJS SUMMI NAVINIS

COSERVA CRATOGAE, E. GÖTTAE MEDIEVE

PER AESTUUM

TRIO REGATORI TIBERIENSIANAE MAGENHIC

D. ANDREA ETIA BACHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOVI

PONTIFICIS SIBILAE REGI A CONSULES RITUS

MEDICINA ET PHARMAKIA MATTHIAS MOLLER 1741. QVIDAM

PHYSICIUS VANDENS DILECTAE CATHOLICAE TRIVIRI

AT. COELESTI. TIT. 1000. Q. 2000. C. 2000.

PRO TIBERIA

SACRA IN MEDICINA HOMINIS AD PRAELEGENDA

DE CORVALLI FESTINI CEREMONIA

ET CEREMONIA DE CEREMONIA

L. ALTM. RICCI. MEDICINA

TRIVIRI DILECTAE

LOVAGUS HILDE FRIDERICI

ET CEREMONIA DE CEREMONIA



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
TVBVR^CINATIONIS DAMNIS.

PRO O^EMIV^M.



Vetus iam est obseruatio, maximam moribus cum ipsa hominum sanitate esse confessionem atque conspirationem, eosque potissimum homines, qui ad malam peruersamque delabuntur consuetudinem, qualecunque valedudinis suae capere detrimentum. Non ii sumus in praesentia, quibus id datum est negotii, ut longo sermone varios istos perditos vitiososque persequamur mores, a quibus non solum honor atque existimatio, sed ipsa quoque vita sanitasque atteritur atque deprauatur: illud autem, pro summis Medicorum honoribus legitime capessendis commentaturi, ab instituto nostro neutquam alienum existimamus, si in singulare quoddam huius generis exemplum oratio nostra

A 2

efset

esser ingressura. Quo animo, turburcina^tores intuiti, vitiosam hanc & a bonis moribus abhorrentem edendi rationem, quo frequentiorem perulgatioremque, praecipue inter infimae sortis aut malae educationis homines, deprehendimus, & quo maiora damna in humanam sanitatem inde redundantia nouimus, eo lubentius perstringendam nunc atque exagitandam suscepimus: haud dubitantes, quin duplificem conatus nostri habituri sint dotem; alteram, quod ipsos peruersos emendant corriguntque mores, alteram vero, quod sanitati humanae tuendae conseruandaque saluberrima consilia proponunt. Verissime autem tam in honestis, quam insalubribus moribus esse inferendam, duplici saltem testimonio celeberrimorum quorundam virorum, *Desiderii nimium ERASMI, Roterodami, & Caspari HOFFMANNI*, illius morum praceptoris, huius diaetetici doctoris, vtriusque vero idonei harum rerum arbitri iudicisque, confirmabo. Prior enim: *Quidam, inquit *), deuabant verius, quam edunt, non aliter, quam mox, ut aiunt, adducendi in carcere.* Latronum ea est tuburcinatio. Posterior vero, a tuburcinando alios dehortaturus: *Si fames, ait **), sit inten-*

*) In *Civilitate morum puerilium*, Thes. CVI. p. 94 Ed. Lips. a. 1724.

**) In *Institutionum medicarum* Libr. V. Cap. XXIX.

*sa, caueat imitari tuburcinatores. Duo enim hic incommoda sunt. Alterum, quod non bene masticeat. Qui id facit, odisse animam suam Arabe dicunt. Alterum, quod hac ratione multum simul aëris ingurgitet, unde fluctuationes in ventriculo molestae ***).* Verum enim vero in hoc argumento versaturis nobis quum, partim ob temporis, quo circumscribimur, angustiam, partim ob alias, easque domesticas priuatasque causas, commendatissimam esse oporteat auream breuitatem, aliorum celeberrimorum virorum consiliis praeceptisque, hac de re datis, in praefenti hac commentatione non admodum immorabimur, sed potius

*Tuburcinabitur de nostro, quicquid domi est ****):*

primo ipsam tuburcinationem, & quae sub eadem corpori humano accident, consideraturi; tum varia mala, quae exinde primae, quam vocant, culinae & primariae digerendorum concoquendorumque alimentorum officinae inferuntur, exposituri; addituri denique, quae ex his vniuersi corporis valetudinem adfligunt, innumera atque infinita detimenta.

*** Commentatus est in hunc locum, sed admodum breuissime, celeberrimus quondam *Ioannes Henricus SCHULZIUS*, in Differetione de *Cantelis in mensa*, § V. pag. 18.

****) *PLAUTVS in Persa*, Act. I. Scen. III. vers. 42.

§. I.



Si quando sit, id quod nobis impraesentiarum contingere videtur, ut rei cuiusdam, quae pertractanda suscipitur, nomen parum frequentetur, ideoque hodie inaudita fere atque ignota vox sit, quae antiquis satis fuit perulgata: hos omnino, qui eiusmodi res disputare instituunt, a consueto scriptorum academicorum more aliquantulum recedere, lectoresque de commodo expediendi argumenti nomine praemonere oportet, ne fortassis inopportunae nouitatis fiant suspecti. Nobis profecto, in tuburcinatores hac satura animaduersuris, istane cautio opus sit, nec ne? ipsi dijudicent lectores. Saltem ne censorum nonnulli obiectum sibi existimant scrupulum, *tuburcinationis* vocabulum a suspicione dabimus vindicatum. Ergo, apud quos non valuit **PLAVTI** atque **ERASMI**, viri, licet recentioris, omnium tamen latinissimi, auctoritas, paullo ante, dum praefabamur, a nobis excitata, valebit forsan **NONII MARCELLI**, proprias verborum significaciones ex professio exponentis, fides: *Tuburcinari*, dicens a), significat raptim manducare. Interim tamen negandum non est, comicis in primis hoc vocabulum fuisse familiare b).

§. II.

a) In Libro, qui de Proprietatibus sermonis inscribitur; ad vocabulum: *Tuburcinari*.

b) De huius verbi latinitate commentatus quoque est vir harum rerum intelligentissimus, **Ioannes Henricus SCHVLZIVS**, in *Dissertationis* iam citatae p. 19. sequentem in modum: *Tuburctnari*, dicens, est vocabulum, ut existimo, plebeium & vulgare, qualia comicci, ut **PLAVTVS**, ex quo citatur, multa habent, quaeque in aliorum scriptis vix, nisi per iocum, relata sunt. Legitur etiam apud

§. II.

In tantum autem ad nos Medicos consideranda pertinet tuburcinatio, in quantum singulare atque eminens masticationis constituit vitium. Quippe eandem commodissime per *masticationem adfectam & nondum sub deglutitione perfectam atque absolutam* definiri posse existimamus. Exponi itaque, quaenam a tuburcinando corpori humano accidat, ante omnia partim ipsius perfectae & integræ masticationis theoriam & Physiologorum institutio-nibus breuissime repetere, partim ipsos, qui inde redundant, salutares effectus carptim recensere debemus. Tantum vero abest, ut haec ceteroquin notissima longo sermone simus persecuturi, ut potius ea, quae tumultariae huius atque superficialis manducationis explicationi illustrandæ singulariter atque praecipue conueniunt, exinde decerpta in medium præsenti commentatione simus pro-laturi.

§. III.

Quotidiana constat experientia, maximam ciborum nostrorum partem cum fibris esse compositam duris, tenacibus, glutinosisque, tum particulis faltem viscidis, compactis, fortiusque cohaerentibus, & difficilius adeo a quo-cunque corporis nostri liquore, in fauces, ventriculum, atque apud APULEIUM, castae terfaque linguae non admodum studio-sum. Denotat autem raptim comedere, exponente Nicolao PETROTO in MARTIALIS Epigramma XXVII. Non MARCELLVS de propriet. sermon. exponit: raptim manducare. Quantum colligere licet, de fernis, furtim ablatum celeriter deuorantibus, proprie dicitur. Pace tamen illustris huius viri adiicere licet, in QUINTILIANO quoque, terfissimae latinitatis scriptore, nos alii cubi legisse vocabulum: tuburcinabundum, eiusmodi hominem denotans, qui appositis cibis maxima cupiditate & ore iamiam semadperio inhiat.

que intestina confluente, soluendis; nisi antea in minores moleculas quomodocunque diuisae, & sufficienti fluidi cuiusdam idonei portione dilutae atque temperatae, in tenuem fuerint redactae pultem, coctionis atque resolutio-
nis longe, ac antea, patientiorem. Variis ergo adminicu-
lis instrumentisque opus erat, quibus praediti generis cibi duriores incidi, frangi, dissecari, conteri, imminui, & ad necessarios nutritionis usus praeparari possent.

§. IV.

Proinde hac in re diuina summi opificis nostri prouidentia locupletissime nobis prospexit. Quandoquidem non solum duobus maxillaribus ossibus, mobili alteri, alteri vero immobili, singularia maximae & paene lapideae duritiae infixit corpora, diuersis instructa formis, & ut oppositis superficiebus sibi responderent, peculiari serie ordinata, quos vocamus dentes: verum etiam mobili maxillae inferiori insignem muscularum, in physiologicis anatomicisque demonstrationibus amplius atque plenius euoluendorum, annexuit vim numerumque, ut ipsa, prout varia motus ratio est atque necessitas, summo cum robore & firmitate mox ab immobili superiori maxilla abduci, mox ad eandem iterum adduci, mox lateraliter dextrorum sinistrorumue moueri, mox antrorum ultra superiorem protrahi, mox denique denuo retrahi possit. His sub motibus multiplices diuersaeque simul concurrunt buccarum, labiorum, linguaeque motitationes atque actiones, in praesentia non definiendae, conuoluendis in oris cauea cibis inferuentes.

§. V.

Verum enim vero sub his variis muscularum com- motionibus (§. IV.) potentissimisque actionibus, per phy- siologicas mechanicasque leges, fieri non potest, quin in-

ter-

teriectae his carnis saliuales glandulae efficacissime comprimantur, & ad liquorem suum promptius copiosiusque fundendum maxime irritentur. Qui blandissimus humor necubi forte deficeret, sapientissima voluit prouidique natura. Namque siue aperias os, digastricus cum mylohyoideo musculus maxillarem glandulam ad saliuae vrgebit profusionem; siue denuo claudas, parotidi inniteratur masseter, itidem compressu suo laticem hinc excitatur saliualem c).

§. VI.

His ergo singulis viribus (§. IV. V.) conspirantibus & ad actum motumque concurrentibus incipitur, continuatur, absoluiturque vera atque perfecta manducatio (§. II.). Nempe immisus in os cibus pro diuersa sua materie atque firmitate, infinito paene motuum genere, mox his, mox illis intericitur dentibus, & multiplici maxilarum collisu secatur, disfringitur, teritur, moliturque; porro inter haec perpetua saliuialis vndae adfusione emolitur, diluitur, soluiturque; & alternis his conquassationibus atque temperaturis tamdiu subigitur, donec in molissimam & mere succulentam abierit pastam, tum demum, neque prius, deglutitioni tempestiuam d).

§. VII.

c) Praeter plerosque Scriptores physiologos recentiores, conferri quoque hanc circa rem merentur *Ioannis Christoph. LISCHWITZ* *Dissertatio de Masticatione*, Lipsiae, MDCCXXV. disceptata, &, si modo haberi potest, hac longe perfectior locupletiorque *Alvare Telles DACOSTA* *Dissertatio de Manducatione*, Traiecti ad Rhenum, MDCCXXXIV. ventilata.

d) Quanti sit momenti manducatio perfecta in humanis corporibus, e comparatione huius negotii, in aliis animalibus passim diuersi, ostenderunt, verbi caussa, *ZWINGERVS* in *Compendio medicinae vniuersae*, p. 64. *PEYERVS* in *Anatome ventriculi gallinae*, p. 57.

§. VII.

Quae dum fiunt (§. VI.), ad perfectam eiusmodi mafificationem varia, quae inde enascuntur, velut aduentitia accedunt emolumenta. Primo enim saliuia sufficienter admixta implicatas cibis salinas particulas soluit elixatque, & adeo sapida efficit alimenta. Deinde aer, partim faucium permeans caueam, partim reliquis ciborum moleculis inclusus, dum inter masticandum in calido loco quasi voluitur atque agitur, vi elateris sui sese expandit, & cum ex parte euolutus atque separatus in auras abit, tum, qui superest, in disiungendas reliquas ciborum particulas nititur, oleosa & pinguedinosa salinis aqueisque miscet, variorumque ciborum simul ingestorum odorem & saporem in vnum confundit. Sub protractiori denique ciborum in faucibus agitatione tenuiores volatilioresque eorundem moleculae a reorbentibus faucium linguaeque venulis protinus bibuntur & ad ipsum sanguinem transferuntur, vitalium virium robur quodammodo restauraturae.

§. VIII.

Atque nunc facilius intellecturos vos esse existimamus, Lectores, quales a tuburcinatione, ciborum intuitu, in ipso adhuc faucium ambitu exspectandi sint effectus (§. II.). Huiusmodi enim homines, qui cum ob voracitatem, tum ob animum aliis rebus occupationibusque intentum, tum ob sexcentas alias causas, tuburcinari solent, omniaque tumultuario quasi modo comedunt, primo duiores cibos insufficienter conterunt commoliuntque; & hinc porro tenaces adhuc atque semitritas tantummodo ciborum deglutiunt particulas, saliali liquore nondum penitus

& BONNIVS in *Circulo anatomico-physiologico*, pag. 121. seq. alii-que passim.

penitus subaetas, emollitas, atque solutas, adeoque ob de-
fectum euolutorum salium, alimentis instorum, minus,
ac decet, sapidas, appetituique idoneas stauissime exci-
tando (§. VI.). Ad haec spissior eiusmodi alimentaris mas-
sa, nondum dilutioris pulmenti naeta formam, non satis
reclusas denuoque noua mixtione coalitas habet multi-
plices illas, quibus cibi constare solent, particulas; neque,
ob breuius temporis spatiolum, quo in ore voluitur atque
retinetur, inclusa aerea alimentorum portio aequa, ac
par est, incalescit atque rarefit, & ideo partim maiori in
copia cum cibis ad ventriculum desertur e), partim dis-
solvendis disiungendisque ciborum particulis haud satis
efficaci nisu inseruit. Proinde quoque subtiliori isti ali-
mentorum portioni, bibulas faucium linguaeque venulas
alioqui subiturae (§. VII.), conueniens liberque non per-
mittitur accessus.

§. IX.

Videamus igitur nunc, ad alteram dissertatiunculae
nostrae *particulam* progressuri, utrum spissior haec ali-
mentaris materies primis viis incommodet,

stomachoque tumultum
Lenta ferat pituita f),

nec ne? Nempe ad haec recte aestimanda plurimum in-
terest, paullo curiosius ad naturalem eius actionis atten-
dere conditionem, qua ventriculus vna cum intestinis,
praesertim tenuibus, in cibos nititur, eosdemque digerit
& chylo conficiendo aptat. Singula enim ciborum ge-
nera, quotquot quouplicisque generis subierunt ven-

B 2

e) Veri quoque simillimum videtur, aliquam aëris, libere certero-
quin sub respiratione per fauces transcurrentis, portionem sub tu-
burcinatione in ventriculum illabi.

f) HORATIVS in *Satyrar. II.* vers. 75.

triculum, saliuilibus perfusa atque diluta vndis, praeteraque aëre etiam, vel ipsimet naturaliter admixto, vel sub deglutitione simul absorpto, referta, in singulari hoc membranaceo carneoque & summe irritabili sacco, quem vocamus ventriculum, utpote in loco calido & humido, fountur, denuo gastrico liquore, saliuae haud assimili, perlunguntur, peristaltico ventriculi motu continuo & ob irritationem paullo excitatori agitantur, adeoque partim parario aëre, magis magisque rarefiente, partim ab interfusis dictis saliuali gastricoque liquoribus, discerpuntur, macerantur, molliunturque, donec in liquidam subputrescentemque pulpam, secedente insimul aëris simplicis & evoluti portione, fuerint redacta, tandemque ope agentis ventriculi, superato pyloro, ad tenuia peruererint intestina. Quo facto absoluta dicitur ventriculi digestio.

§. X.

Enimuero intueare, si lubet, tuburcinatores, crudamente illam cibariam pulpam, quam ipsi ad primas dimittunt propelluntque vias (§. VIII.). Spissior enim haec viscidiorque massa non solum maiorem ventriculi vim ad sui resolutionem requirit, sed etiam, ob defectum sufficientis saliuialis vndae, gastricum liquorem nimis haurit absorbetque, & eo nomine carneas ventriculi fibras vehementius potentiusque irritat, & ad intensiorem perducit constrictionem. Huc accedit, quod eadem auctior ventriculi irritatio simul, partim a copiosori aëre, his modis illato (§. cit.), partim a maiori ciborum, tuburcando ingestorum, mole atque acrimonia salina g) plurimum

¶ Quoniam enim saliuia insufficientis salinas ciborum particulas nondum satis dissoluere & cum oleosis permiscere & vinre potuit (§. VII.), ipsa haec cibaria massa aliquid acrimoniae alit,

rimum efficiatur seruerorque. Inde ergo sit, vt non solum, ob concitatissimum validissimumque ventriculi motum, magna chymi adhuc crudi & inelaborati pars ad pylorum propellatur; verum etiam frequentiori huiusmodi nimia ventriculi irritatione atque flatulenta distensione elasticae ipsius fibrae sensim a naturali robore remittant, & insigniter debilitentur. Vtique vero hoc modo fieri non potest, quin chylus admodum impurus, viscidus, & a naturali tenui blandaque indole alienus generetur, & intestinorum simul tractus magna flatuum copia impreagnetur.

§. XI.

Atqui hic plurimos haud dubia praeensione videamus nos esse oblatratos, pertinaciterque negaturos, quod a tuburcinatione eiusmodi digestionem chylificationemque laudentia orientur damna, quorum paullo ante (§. X.) fecimus mentionem; quoniam maxima infimae & plebeiae fortis hominum pars plerumque tuburcinantur, nullo tamen subsequente sanitatis, & praecipue ipsius digestionis conspicuo detimento. At vero saluam habemus rem nostram. Quippe non solum mains firmiusque fibrarum robur, quod in huius generis hominibus portissimum generatim deprehendi solet, & singulariter quoque ventriculi atque intestinorum fabricam componit, superandis subigendisque vel crudioribus, neque masticatione satis commotitis contritisque, cibis sufficit: verum etiam ipsi intensiores muscularum, praesertim abdominalium, motus, quibus ad grauiores, quos plerumque sustinent hi homines, perficiendos labores opus est, ventriculi & intestinorum actionem eximie adiuuant confirmantque. Contra ea vero qui a natura debilioris tenerorisque sunt habitus, vitamque degunt sedentariam, aduenti-

B 3

uentisio hoc digestionis & intestinalis actionis beneficio excidunt, iisque, quas modo indicauimus (§. cit.), noxis obnoxii certissime fiunt.

§. XII.

Ipsi ergo huic hominum generi, quos iam tetigimus (§. XI.), haec potissimum dicta scriptaque sunt, ut moniti sapere discant, neque tuburcinabundi ad mensam accendant, certam alias incongruae pertuersaeque suae edendi rationis daturi poenam, & imbecille corpus, anseris saepe medulla, vt in veteri est prouerbio, mollius in dies magis magisque eneruaturi. Tanta enim harum partium, quas tuburcationis effectus primario & *ἀρχήσις* laedit, cum uniuerso reliquo corpore est consensio, tamque arctissimus nexus, vt primarum, quae vulgo dicuntur, viarum via protinus ad reliquas quasi serpent partes, & innumeris infinitisque modis earundem turbent peruertantque functiones. Qua in re sententiae nostrae socium testemque habemus maxime idoneum, celeberrimum nempe *Ioannem Henricum SCHVLZIVM*, decus quondam nostrum: *Ventriculi, inquietem b), usus & officium ita comparatum est, vt, si ille rite hoc fungitur, tam reliquae corporis partes in statu naturali magna ex parte seruentur, quam incipientibus morbis occurratur; quodsi vero illius officium laesum maneat, nec emendetur, vitium simul ad alias partes transcat.* Reete hoc iam monuit *CELSUS*, qui: *sicuti concoctio, inquit i), omnibus corporis affectibus necessaria, omnibus que*

b) In exquisite elaborata Dissertatione de Ventriculi & intestinalorum ratione in omni morborum genere habenda, Halae, MDCCXXXVIII, ventilata; §. XVII. Vbi plura quoque repertas disputata, ex subtiliori nervorum, primas vias cum reliquis corporis partibus conuentientium, descriptione deducta, quae nostro quoque arguento illustrando inseruire possunt.

i) In Libris VIII. de re medica, Libr. I. Cap. IX.

que vitiis occurrit: ita cruditas maxime laedit, quotiesque corpus offendit est, vitiosa pars maxime sentit.

§. XIII.

Clariora haec atque explicatoria fore arbitramur, si, ut supra promisimus, singularium atque principum quorundam morborum, a concoctione per tuburcationem laesa oriundorum, recensionem subiecerimus succinctam. Anteaquam vero datam hanc liberemus fidem, consultum omnino erit, ad varias istas attendere conditiones, quae corporum humanorum imbecillitatem, facilius a tuburcatione offendendam (§. XII.), indissolubili quasi nexu secum ferunt. Huc nimirum, physiologicis diaeteticisque k) institutionibus edoctus, referas, si aeratis habeatur ratio, infantes, pueros, senes; si sexum respicias, feminas potissimum; si temperamenta, sanguineos phlegmaticosque; si vitae denique genus, sedentarium atque otiosum, & a laboribus motibusque voluntariis nimis alienum.

§. XIV.

E morborum cohorte, qui tuburcinatoribus in primis infesti sunt, primo loco se sistunt febres, tam intermitentes, quam acutae; ita tamen, ut priorum in his hominibus maior esse soleat frequentia, quam posteriorum. Scilicet quum hoc febrium genus materiam praesertim pro causa agnoscat ex humoribus constantem vitiatis, crudis, ex praua concoctione residuis, temporisque mora mox viscidis, mox acribus factis, in prima potissimum regione, hoc est, ventriculo, duodeno, & insigni iejuni intestini portione, nonnunquam autem simul in pancreate reliquisque mesentericis glandulis & proximis visceribus, quas secundas vias communi nomine vulgo vocant, hærenti-

k) Videatur, verbi causa, Christianus Gottlieb LUDWIG in *Institutionibus Physiologiae*, Part. III. & IV. passim.

rentibus, & hinc per lacteos canales ad vniuersam sanguinis humorumque massam abeuntibus, & tum deum vasculorum se- & excretoriorum tunicas ad febriles irritantibus spasmis ¹⁾: fieri non potest, quin tuburcinatio, quippe in diuersis locis varias multiplicis generis naturaeque cruditates coaceruans & augens (§. X.), ipsum adeo februm intermittentium somitem sit suppeditatura. Quocum etiam plurima, passim in obseruationum medicarum clinicarum scriptoribus reperiunda, consentiunt obseruata.

Neque tamen nullam prorsus oriundis *acutis febribus* ansam suppeditat tuburcinatio (§. XIV.). Ea enim, quoniam viscidum crudumque chylum efficit & ad sanguinem dimitit (§. X.), iisdem his cruditatibus & viscidis spissisque particulis vniuersam humorum inquinat massam. Qua de causa in minimis, se- & excretioni destinatis, vasculis non solum fluidorum retardatur transitus, ipsique humores recrementii iusto diutius copiosiusque in corpore retinentur; verum etiam, facta exinde vera sanguinis aut stasi, aut corruptione quomodocunque putredinosa, vel intrinsecus exorta, vel aliunde a miasmate concepto inducta, superuenientibus solidarum fibrarum spasmis, febres inflammatoriae, ardentes, putridae, exanthematicae, & quae sunt reliquae huius classis, excitantur. Quid? quod etiam quotidiana Medicorum, salutarem artem facientium, experientia docet, omnes singulasque has febres, si primae viae praedictis qualibuscumque cruditatibus turgeant, ut tuburcinatoribus accidit, longe esse peiores periculosioresque.

§. XVI.

¹⁾ Confer *Magnifici & Illustris PRAESTIDIS Fundamenta Pathologiae specialis*, Sect. I. Cap. I. §. VI. VII. Cap. II. §. V. VI. & Cap. III. §. IX. X.

§. XVI.

Quantopere vero in *haemorrhagiis*, tam naturalibus turbandis, quam intempestiis atque incongruis excitandis, valeat tuburcinatio, dici vix potest. Quippe partim viscidus ille crudusque chylus, quem tuburcinatores sibi comparant (§. X.), varia multiplicique ratione secretionum excretionumque negotia insigniter turbat, ut paulo ante demonstrauimus (§. XV.), atque hinc maiorem humorum inducit copiam, plethorae nomine vulgo notam; partim copiosiores flatus, tuburcinationis pedissequi (§. X.), ventriculum, cum intestinis, violentius distendunt, & in his, vt pote summe irritabilibus partibus, vicinisque locis non solum, sed etiam, ob singularem huius intestinalis tubi cum vniuerso reliquo corpore consensionem *m*), passim in aliis graues admodum atque vehementes excitant spasmos. Verum enim vero, quantae inde in vitali humorum motu a naturali ordine contingent aberrations, impetuosaque sanguinis ad certa quaedam loca congettiones, foecundae haemorrhagiarum matres atque procreatrices, eum tantummodo nescire decet, qui vel ipsorum generalis Pathologiae elementorum summe est ignarus. Auctis vero magisque intensis ipsis illis, quos modo commemorauimus, ipsamvis, oscula, iamiam sanguinem salutariter plorantia, adeo constringi coarctarique posse, ut ipsis profluio aut ex parte, aut penitus obiiciatur obex, facillimum est intellectu *n*).

§. XVII.

m) Confer, si lubet, *Magnifici & Illustris PRAESIDIS Fundamenta Pathologie generalis*, Prolegomenor. Cap. III. ad finem.

n) Frequentioris est obseruationis, tam viros haemorrhoidarios, quam feminas, menstruae purgationi adhuc tempestiuas, si eodem ipso tempore, quo sanguinea haec sunt profluvia, eiusmodi ves-

§. XVII.

At profecto in excitandis *congestionum spasmodorumque* insultibus nulla alia potentior efficaciorque est causa, quam ipsa illa, quae inter tuburcationis effectus a nobis supra est numerata (§. X.). Pone enim, ut oportet poni, ventriculi & intestinorum fabricam ita variis confertam obrutamque esse cruditatibus, flatumque copia distentam, ut tono atque elatere suo deiiciantur (§. cit.); praeter haec vero, his de causis, ipsam sanguinis ceterorumque humorum massam plurimis tam crudioris & inelaborati chyli, quam aliorum liquorum excrementiorum, ob turbatas impeditasque excretiones copiosius in vasculis redundantium (§. XIV-XVI.), particulis inquinatum spissioremque factam: quid, quaeſo, facilius certiusque tunc in humani corporis machina euenire poterit, quam ut partim congesta hinc inde sanguinea atque ferofa colluuiis restagneret, partim ipsae solidae irritabilesque vasculorum tunicae, irruentium horum humorum vim impulsumque sustinentes, itidem maiori auctiorique vi renitantur, & ab insita irritabili facultate, nuper per Physiologorum experimenta demonstrata o), ad varios doloficosque spasmos efficacissime concitentur? Sed exempla huiusmodi singularium congestionum spasticorum-

que

cuntur cibis, qui minoris tenacitatis cohaesionisque videntur, & tamen non sunt, ideoque illos ipſos ad tuburcationem allicitur, saepenumero in ante dictarum haemorrhagiarum incidere suppressionem. Exempli causa esse potest panis recens coctus; de quo saepe queruntur femellae, dicentes: *Ich habe mir meine Zeit in frischen Brot veressen.*

- o) Notiores sunt subtilissimae exquisitissimaeque hac de re Dissertations Hallerianae, Zinniane, Zimmermanniane, Oederiane, aliorumque recentissimorum Scriptorum, quam ut hoc loco singulari reuirere videantur recensionem.

que adfectum, tuburcationem infectorum, protinus dictis nostris faciunt fidem p).

§. XVIII.

Scilicet cui non dicta est *cephalalgia stomachica*, ut appellari vulgo solet, vitiosorum humorum flatuumque in primis viis adfatis collectorum frequentissima soboles q), & hoc nomine tuburcationis velut neptis (§. X.). Cardialgicum colicumque dolorem, inprimis spasmoco-flatulentum, haud raro tuburcinatoribus esse infestum, vel ideo non obscurae est iudicationis, quod, docente Pathologo, primaria horum malorum sedes in ventriculi intestinorumque tractu est inuestiganda. Tametsi vero reliqui ex hoc ordine dolores atque spasmi, cum a calculo felleo, renali, vesicaeque, tum a congestis compactisque circa haec loca humoribus, oriundi, non *ἀμέσως* statim supra (§. cit.) expositis tuburcationis effectibus debentur, remote tamen ad eorundem singulorum generationem crudos maleque coctos succos, primam regionem molestissime obruentes, concurrere, horumque dolorum augere gradus, omnes testantur demonstrantque pathologorum praceptorum scriptores r).

§. XIX.

Porro vero qui attenta curiosaque obseruatione ad
C 2 varia

- p) Plurima etiam, dictis nostris lucem sparsim adfusura, differuit *Illustris & excellentissimus Ioannes IVNCKERVIS*, in Dissertatione de quadruplici Spasmorum respectu, & *Magnificus PRAESES* in Dissertatione de Spasticorum motuum theoria & therapia generali, Erfordiae, anno MDCCXXXVIII, disceptata.
- q) Euoluas hac de re *Magnifici & Illustris PRAESIDIS Fundamenta Pathologiac specialis*, Sect. IV. Cap. I. §. XVI.
- r) Videbis, exempli causa, citati modo Libri Sect. IV. Cap. II. §. IX. Cap. V. §. XV. Cap. VI. §. IX. &c.

varia dolorum rheumaticorum arthriticorumque phaenomena animum aduerterunt, Medicis iam pridem proba cognitum perspectumque est, huiusmodi aegrotantes digestionis vitio plerumque laborare, primasque vias, tanquam commune impurorum humorum compluuium, rutibus, flatibus, spasmis, crudisque variae naturae succis, sub segniore alio, (abere turgidas s); ex quo dein aperita confectum est consecutione, ut haec ipsa corporis nostri regio tanquam primus ante memoratorum malorum fons, somitisque rheumatico-arthritici receptaculum, merito sit aestimanda. Quocirca & hinc nobis abunde multum offertur demonstrationis, quod tuburcinatio quoque, quia cibarium tubum plurimis impuris atque crudis materiais confert, flatibusque sufflat atque expandit, multum quoque suggerat caussae, vnde tuburcinatoribus haud valum superuentororum cruciatuum rheumaticorum arthriticorumque metum esse oportet.

§. XX.

Si quid tamen vñquam mali fuit, ad spasmorum familiam pertinentis (§. XIX.), quod a tali mala ciborum concoctione, qualem tuburcinatio inducit (§. X.), tam enscitatur, quam enatum augetur atque exacerbatur, *malum profecto est hypochondriaco-hystericum*, formidolosissimum nomen. Sentias enim hic, inter alia plurima grauisima symptomata, flatulentas vniuersi intestinorum tractus inflationes, saepius cum tumore coniunctas, spasticam pharyngis constrictiōnem, difficultem deglutitionem, ardorem oesophagi, cardialgicum ventriculi dolorem, & copiosas denique cruditates acidas, viscidas, sebaceousque, his in locis coactas & confertas, ad ipsam sui reiectionem saepe numero sua sponte vomitum excitantes. Praeter haec reliquum

s) Ibidem Sect. IV. Cap. VIII. §. VII. & Cap. XI. §. XXII.

liquum intestinorum volumen variis tensionibus, tortim
nibus, lancingationibusque, distorquetur, & flatibus, per con
tinuos fere borborygmos atque murmura femet prodens
tibus, inaequaliter distenditur, & ad spasmos irritatur ²⁾).
Ex quo apparet, quanto maiora hoc malum capturum sit
incrementa, si quis misellorum horum hominum tubur
cinando nouas cruditates iam collectis superaddiderit,
tamque acerbissimorum spasmodorum causam identidem
auctiorem reddiderit efficacioremque.

§. XXI.

Singulare & perquam memorabili exemplo confir
mavit haec (§. XX.) Philip. HOECHSTETTERVS: quod,
quoniam illustrandae nostrae Dissertationi plurimum in
seruit, & multiplicitia adhuc mala, concatenato quasi ordi
ne tuburcinationem insecuta, complectitur, ex parte ex
cerptum atque contractum, quoad nostra intererit, hic de
scribemus. *Virgo*, inquit praedictus auctor ^{u)}, *annorum*
viginti sex, *temperamenti sanguineo-phlegmatici*, ab ineun
te aetate *inculpatae* fere *fuit valetudinis*; *nisi quod inter
dum*, *sed raro*, *aliquot post pastum horis*, *cibum non conco
ctum euomuerit*, *idque ut putabatur*, *ob errorem externum*.
*Mali namque & noxia consuetudine cibum non mastica
tum*, *neque dentibus satis confectionum*, *voracitate quadam de
glutire solebat*, *id est*, *tuburcinationabatur*: *nec ab his*, *quae ven
triculo gravia sunt*, *abstinebat*. *Aluum habuit segnem, re
ftugiantem, atque obstruantem*, *fecibus ex negligentia reten
tis*, *nec tempore debito excretis*. *Hinc elypteribus frequen
ter alius fuit sollicitanda*. *Decimo quarto aetatis anno ca
tamenia fundere coepit*. *Non longe post ab intempestiao*

C 3

acidu

²⁾ Conferatur citati Libri Sect. V. Cap. VI. §. III. IV. X. & XVII.

^{u)} In *Observationum medicinalium*, Decad. V. Cap. III. p. 571. Edit.
Francofurt. ann. M D C LXXIV.

acidularum usu subsecuta est mensum imminutio & adficitio hystericae quidquam. Progressu temporis, ob frequentiores in victu errores, ventriculus magis debilitatus saepius, quam antea, cibum cum copiosa pituita reiecit, praecedentibus semper & concomitantibus contumacibus alui obstructionibus. Balneorum dein Cellenrum usu satitas, paullo firmior reddita visa, non diu durauit. Superuenerunt enim moerores adfici, aliisque animi affectus diurni. Hinc redierunt frequentius vomitiones, & succedit integra pathematum cohors: tortuina nempe ventris, dolores infra ventriculum flatulenti, electio scybalorum induratorum cum magna pituitae vitreae copia, intumescentiae detumescentiaeque hienis alternae, cruciatus subinde iumbares, mictio lotii crudi, pallidi, aquosi, cum sedimento pituitoso, menses, temporis quidem periodo, non tamen copia ordinati, mox parci, mox copiosi, fluor albus denique largissimus, sensim una cum reliquis, quae enarrauimus, symptomatibus, aegrotam in summam comiciens tabem.

§. XXII.

Qui viscerum labi partiumque solidarum atoniae, itemque humorum massae, quantaquanta est, corruptae atque inquinatae debentur, morbos strictim tantummodo attingemus. Quoniam enim plerosque hos ceteri isti, quorum ex tuburcinatione ortum aut incrementum iamiam haec tenus exposuimus (§. XIV-XXI.), morbi, tanquam caussae, antecedere solent, vel horum intuitu clarissime patebit, quot quantumque malorum exspectare oporteat tuburcinatores. Ut ne tamen hic sine symbolo decedamus, haud inopportunum arbitramur, legi hic admodum notabilem quandam historiolam animi post tuburcinationem subito delinquentis, quam a *Vito RIEDLI* no obseruatam descriptamque habemus. Mercator quidam,

dam, refert ille x), quinquaginta, & quod excurrit, annorum, alias ientaculo, licet tenui, adsuetus, cum negotiis distractus consuetudini huic non satisfecisset, hinc eo maiori cum appetitu prandium accessit, & in eo apposita carnis duas particulas tam quide deglutiit, ut inde in animi tam graue inciderit deliquium, ut uxor & reliqui adstantes fere pro mortuo habuerint, nesciique, quo modo eidem esset succurrentum, clamando tandem quasi excitarint.

§. XXIII.

Anteaquam vero opusculum hoc quantulumcunque nostrum ad finem perducamus, plurimi adhuc ad praesens interest institutum, paucis nunc pueriles infantilesque in tantum expedire morbos, in quantum illi saepius sola contrahuntur tuburcinatione. Quotidianae enim est obseruationis, hos pusillos homunciones parum perfectam ciborum curare manductionem, sed plerumque, ut sunt potissimum edaciores, ne dicam voraciores adultis, tuburcinari. Proinde etiam, quum praeterea imbecilla atque debili intestinalium organorum fabrica a natura sunt instructi, eo facilius ab hoc masticationis virtio noxam contrahunt, & in multiplex sanitatis suae conciuntur discriben detrementumque. Huc pertinent, verbi catissa, nominatim frequentia ventris tormenta, cardiomus, diarrhoea bilioosa, catarri suffocantes, dentitiones difficiles, & varia impurorum inquinamentorum, massam sanguineo-lymphaticam ingressorum, consectaria, achores videlicet, tinea, atque lactea crusta, itemque verminosa colluuius intestinis innidificata.

§. XXIV.

Truculentissima autem ex his (§. XXIII.) mala, quae ex

x) In Lineis medicis, Ann. IV. Mens. Septembr. Lin. XVI. pag. 764. seq.

ex infantum puerorumque tuburcatione interdum enascuntur, sunt rachitis atque atrophia, & haud infrequens alterutrius filia, paedarthrocace, cui & spinae ventosae nomen est. Quippe singulae hae afflictiones, ut in pathologicis luculentius demonstratur y), viscidam pro causa agnoscent humorum vitalium tenacitatem, in spiso in primis sanguine conspicuum: cuius proximae origines ab ipsa depravata alimentorum digestione, & enato inde crudlo impuroque chylo, difficillimam impeditissimamque per vas a lactea ad thoracicum ductum ipsumque sanguinem habente accessionem, merito sunt repetendae. Quae cum ita sint, a tuburcatione continua & contracta, quippe malae peruersaeque digestionis matre (§. X.), non solum praedicti hi morbi facilime certissimeque superuentient, verum etiam, nisi tempestiuadhibeatur curatio, illaetabilis funestus.

que z) subsequetur

F I N I S.

y) Videatur *Magnifici & Illustris PRAESIDIS Liber citat. Secl. IX.*
Cap. V. §. V. & Cap. VI. §. VI. & VII. item *Eiusdem Dissert. de
Remediis mercurialibus spinae ventosae medicandae interdum
idoneis*, Cap. I. integro.

z) Graphice eiusmodi funestam atrophiam, a tuburcatione ornam, depinxit *Vitus RIEDLINVS* in *Liber. citat. Ann. VI. Mens. De
cembr. Lin. X. pag. 1304.*



01 A 6528

ULB Halle
002 928 698

3





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**TVBVR CINATIONIS
DAMNIS**

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV-GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAE SIDE
PRO-RECTOR E FRIDERICIANAE MAGNIFICO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI

AD D. XXVI. OCTOBRIS, A. S. R. c^{lo} Iocc LVIII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET

IOANNES IVLIVS FRIEDRICH
SOLDINO- NEO- MARCHICVS.

HALAE MAGDEBURG. EX OFFICINA HENDELIANA.